



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1634**

Regulæ quædam ad materiam examinis particularis eligendam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

examen fieri debere meridie & vesperi, intelligatur hoc tempore Exercitiorum. quâ in re quisque more suo pergat, ita tamen vt neutrum omittat examen. Certum est, quòd examen particulare exactiùs fiet, si diuerso fiat tempore.

*Regulæ aliquot ad materiam examinis particularis eligendam.*

**M**Ateria examinis particularis, vt dictum est, reducitur ad tria Capita: quæ sunt, corrigere defectus, Exercitia spiritualia accuratè facere, exercere se in aliquibus actibus virtutum. Et quia Exercitia spiritualia multiplicia sunt, & quæque virtus aut vitium suos actus, tamquam diuersos ramos, habet, notandum est, non omnes simul sumendos esse, quod confusione pareret, sed materia talis, & ita determinata & particularis sit, vt singuli ita eam ad manum habeant, vt numerare possint vices quibus hunc  
vel

vel illum defectum commiserunt.

Conferet ad praxim, ponere exempla particularia in singulis tribus materiis iam designatis, vt videbitur in catalogo sequenti.

*Materia examinis particularis circa defectus.*

**G**VLA. Primò, Foris, aut extra tempora, aut sine licentiâ non comedere. Secundò, Delicatiores, aut particularia sine euidenti necessitate non admittere. Tertiò, Non finire se abripi gustu & suauitate ciborum, inter comedendum cogitationem ad aliam rem indifferentem diuertendo.

**CONCUPISCENTIA.** Primò, Nihil habere, nisi cuius apud omnes communis sit vsus. Secundò, Non habere nisi præcisè necessaria, quibusque carere nequeas. Tertiò, Non esse pertinacem aut importunum in petendo. Quartò, Nihil eligere, sed acceptare quod datur, paratum esse ad vilissima.

**CASTITAS.**